



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Decretum contra duas
Propositiones. Feriâ V. die 24. Augusti 1690.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

ctores, seu Scholastici, aut alii quicumque impossterum se abstineant, & ut paci & charitati consularunt, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super iisdem Propositionibus judicium proferatur.

19 ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Decretum contra duas Propositiones. Feriâ V. die 24. Anno gusti 1690.

Sanctissimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses seu Propositiones, unam denuo, & in maiorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas à noxis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesum si- ve Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries re mature discussâ infra scriptis Thesibus seu Propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali; Formalis verò in conformitate actus cum Regula morum: Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: HUNC HOMO NON TENETUR

AMARE,

AMARE , NEQUE IN PRINCPIO , NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

II. Peccatum Philosophicum seu morale, est Actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi : Theologicum verò & mortale , est Transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum, quantumvis grave , in illo, qui Deum , vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum , sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus , omnibus plenè & mature consideratis , primam Thesim seu Propositionem declaravit hæreticam , & uti talem damnandam & prohibendam esse, sicuti damnat & prohibet sub Censuris & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in jure expressis. Secundam Thesim seu Propositionem declaravit scandalosam , temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam esse , sicuti damnat & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit , aut de ea etiam disputaverit publicè , seu privatim tractaverit , nisi forsan impugnando , ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii , prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis & Status etiam speciali & specialissimâ notâ dignis , ne prædictam Thesim seu Propositionem ad praxim deducant.

~~~~~

Decre-